



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Spes & Fiducia, Cvrис Ivdiciisqve Dei, Erga Homines In Hac  
Vita Existentes, Firmata**

**Stengel, Georg**

**[S.I.], 1645**

§. 6. S. Augustinus à paruulo eruditus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49823](#)

fuit hic ipse quoque, ni fallor, puerulus, qui magnū illum Augustinum docuit, non nimis alta de SS. Trinitate disputare. Dabo authorem pium, ea de re, quæ alioqui controuertitur, non dubitantem. Cuius hæc sunt verba:

## §. VI.

*S. Augustinus à parvulo eruditus.*

*Quid te inflas, humana superbia? quò as-* Thom.  
*surgis fortius, tantò turpius conquassaris. Au-* Canti-  
*di, quid de Beato Augustino S. Volusianus in* prat. lib.  
*Laude mirabili testatur, dicens: In alijs sacer-* 2. Apum.  
*dotibus per mundum quomodocunq; toleratur,* c. 48, §. 3.  
*inscitia, id est ignorantia, cum autem ad Au-*  
*gustinum ventum fuerit, Legi Dei deesse credi-*  
*tur, quidquid eum contigerit ignorare. Quid*  
*autem tam magnifico viro, super profunditate*  
*sermonis & arduarum rerum disputatione, con-*  
*tigerit, audiamus. Inter miracula quædā Bea-*  
*ti Augustini tale quid de eo reperitur. Eo in tem-*  
*pore, quo Beatus Augustinus librum de Trinita-*  
*te composuit, illi tale miraculum Deus ostendit.*  
*Hipponensis ciuitas Africæ nobilis, in quâ Beatus*  
*Augustinus Episcopatum administrabat, super*  
*littus maris pulcherrimè sita erat. Beatus au-*  
*tem Augustinus in consuetudine habebat, ut post*  
*dñiurnum studium ac laborem, vestere super lit-*

tus

302 Cap. XIII. Etiam per simplicissimos

tus maris , sequentibus cum à longè Episcopis &  
Clericis , qui eum , pro consilio & negotio uni-  
uersalis Ecclesie , frequentabant , solus antece-  
dens deambularet : ne scilicet eius contemplatio-  
nem & studium fabulatio impediret . Cum er-  
go sic solus , vice quadam , incederet , puerulum  
miræ pulchritudinis super littus maris seden-  
tem inuenit , qui facta in terra fossa parvula ,  
sicut pueri in plateis ludentes solent , cochleari  
argenteo aquam de mari hauriebat , & in illam  
fossam parvulam effundebat . Quem ut Beatus  
Augustinus ita seriosè sedentem vidit , pedem  
mox prebit , & stetit . Procedensq; inde , pue-  
rum salutat , & inquirit , quid agat ? Et puer  
cum magnò serio respondens , volo , inquit , totum  
mare istud exhauire , & isti fossæ , si possum , in-  
fundere . Quo responso , quasi puerili , vir san-  
ctus in risum decentissimum concitatus , respon-  
dit : Et quomodo inquit , ô bone puer , hoc po-  
teris ? ingens mare est , parvum cochlear , quo  
exhauris , parva etiam fossa , in quam infundis .  
Et mox puer : possibilius , inquit , mibi est hoc  
facere , quod intendo , quam te implere , quod  
cogitas . Ad hoc Beatus Augustinus mirabiliter  
stupefactus , quid hoc esset , interrogat . Et puer:  
Cogitatu , ait , volvis . & stimas volumine bre-  
ui concludere , quid sit illud individua Trinitatis  
inexpli-

inexplicabile Sacramentum. Et hoc quidem antequam possis, isti fossæ parvulae potius totius maris undas infundam. Hæc dicens puer repente disparuit. Beatus vero Augustinus Christum in facto glorificans, quam verum puer dixerat, mox aduertit.

## §. VII.

*Præcedentis historia veritas trutinata.*

Hæc ad Liburnum, portum Pisaniorum contigisse tradit Iacobus Philippus Bergomensis. Quidquid sit de loco; de puero IESVS ei apparente res probabilior est, quam quod S. Hieronymo apparuerit; non solum quia epistola illa D. Augustini ad Cyrrillum fictitia est; sed quia etiam vetustissima, in Ecclesia, pictura est D. Augustini, cum puer ad littus & pedes illius sedente, atq; cochlear tenente, quo mare in effosam scrobem colligit: quidquid nonnulli etiam hanc imaginem sublaetæ fidei esse arbitrentur. Quod si ergo historiam esse ponamus. voluit & hunc Doctorem Puer IESVS docere, & voluit utiq; sanctus hoc Doctor libenter ab hoc Puer doceri, tanquam à Sapientia Patris, magistrisque veritatis, qui per veros, aut ætate, aut sapientia mundana, pueros, complures alios, in humanis oculis grandes instru-

In tom. 2.  
D. Augu-  
stini Ap-  
pendice  
epist. 17.  
Io. Molā.  
de hist.  
SS. Imma-  
ginum  
lib. 3.  
cap. 36.